

**MATTHIÆ FLACII**  
**VERA DEMONSTRATIO, QVOD ELE-**  
**ctio Præfulum & Episcoporum non ad Ecclesiasti-**  
**cos solum, sed & ad Laicos, ut vocant, pertineat; quod-**  
**que hi hoc jure electionis inde usque à Christi tempori-**  
**bus per annos 1300. usi sint.**

**V**aticinatur divinus Propheta Daniel, fore ut Antichristus, summa Ecclesiæ perniciēs, hac potissimū ratione sit aucturus & confirmaturus Regnum suum, quod sociis opitulatoribusque suis daturus est, & distributurus regiones & opes, iisque magnos honores cumulaturus. Viguit quidem hoc malum ubique locorum, grassatusque est hac arte & modo ille perditissimus Tyrannus multis jam seculis; sed tamen nunquam tam manifestè ac potenter, velut his nostris, ultimisque temporibus; nam olim etiam aliis fulcris regnum Papæ (ut abusibus & superstitionibus variis) fuit sustentatum, quod homines existimarunt, & crediderunt, eam demum esse veram Religionem, quæ æterna beatitudo sit comparanda; seque cultum Deo acceptissimum præstare, si uni Antichristo Romano essent longè addictissimi, ejusque Regnum pro sua quisque virili constabilirent. Iam verò Dei beneficio vident plerique, totum Papatum meris imposturis & perniciosis erroribus esse refertum, quodque nulla omnino spes salutis in ea religione hominibus sit relicta. Sciunt etiam, quod Papa sit ipsissimus Antichristus, & capitalis Dei hostis. Nihilominus tamen (ô auri execrandam famem) adulantur & colludunt ei, ad pedes ejus se abjiciunt, ut modò ab ipso Episcopatus, Præposituras, Canonicatus, Abbatias, & similia impetrare possint.

Quare Papa hoc jam fermè unico adminiculo regnum suum adhuc sustentat, quod passim multis industriis ac idoneis ad res agendas, aut alioqui potentibus viris aliqua loca, Abbatias, Prælaturas, Episcopatus & alias dignitates elargitur; habetque in ea re æmulos & incitatores filios, ex meretrice sua Babylonica progenitos, Sacrificulos nimirum impios, Monachos, aliosque hujus farinae homines simili pietate insignes. Hi enim cum probè videant, omne suum robur, omnemque autoritatem ac dignitatem in eo solo subsistere, ut cultus ipsorum impius, & regnum Antichristi maneat salvum, & conservetur integrum, graviter dant operam, ut quamprimū aliquo vel Episcopo, vel Abbate, vel Prælato, aut simili Ordinis Magnate orbantur, alium sibi commodum in illius locum substituunt. Eligunt enim non eum, qui ad propationem gloriæ divinæ, ut publicæ sive communis utilitatis maximè sit

fit